

SCRIPTA

Numéro Scripta : 926

Auteur(s) : Gilbert, Troarn, Saint-Martin (abbé)

Bénéficiaire(s) : Bayeux, Notre-Dame (cathédrale)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1169, février

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Gilbert, abbé de Saint-Martin de Troarn, notifie une composition à l'amiable, faite entre son abbaye et l'église de Bayeux, sur l'extension des droits de l'évêque.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CXXXV, t. 1, p. 161-164.

Texte établi d'après a

Omnibus sanctæ matris Ecclesiæ, tam præsentibus quam futuris, Gislebertus, abbas monasterii Sancti Martini de Troarno, et ejusdem monasterii monachorum conventus, salutem in Christo. Inter ecclesiam Baiocensem et monasterium nostrum, super quibusdam, quæ ad jura episcopalia et conditionem ejusdem ecclesiæ dicebant pertinere Willelmus, decanus, et canonicorum conventus, habita est contentio diutius ; super his autem sæpius habita deliberatione, in quem modum inter nos res ad pacem redigi posset et tranquillitatem, hanc formam pacis toti negotio tandem dedit compositio amicalis. Nos siquidem, in duabus ecclesiis nostris Troarni, et in ecclesia Sancti Audoeni de Buris, et in ecclesia Sancti Silvini, et in ecclesia Sanctæ Mariae de Johannis Villa, et in ecclesia de Sannerville, et in ecclesia de Turfrevilla, et in ecclesia de Hederosa, clericos de ordinatione Baiocensis episcopi constituemus, et eis curam animarum committemus. Si autem de alterius episcopi ordinatione clericos in illis constituere voluerimus, cum assensu episcopi Baiocensi, et archidiaconi, eos ibi collocabimus. Omnes vero clerici de terra nostra, in episcopatu Baiocensi, per manum archidiaconi, in cuius archidiaconatu fuerunt, ad ordines promovebuntur, et tam episcopo quam ipsi archidiacono obedientiam promittent, et suam justiciam fideliter observabunt. Si quis autem clericorum de terra nostra, in episcopatu Baiocensi, super causa conveniatur ecclesiastica, in qua versetur periculum ordinis, vel beneficii, stabit judicio in curia episcopi, vel archidiaconi, vel ministerialis eorum, Baiocis, vel Cadumi, vel in archidiaconatu ; et si poena pecuniaria alicui de prædictis parrochiis adjudicata fuerit, tota erit nostra ; quod tamen ad spiritualem pertinebit vindiciam, in arbitrio erit episcopi. Quod si clericus, vel laicus, de terra nostra, in clericum de choro ecclesiæ Baiocensis injuriose aliquid commiserit, satisfaciet in capitulo Baiocensi, sub judicio episcopi, vel archidiaconi, et poena pecuniaria similiter erit nostra, in prædictis parrochiis si adjudicata fuerit ; sed spiritualis vindicia ad episcopum pertinebit. Si quis etiam laicus in alium clericum quam de choro Baiocensi aliquid violenter fecerit, respondebit in parochiali ecclesia, apud Caigneum, vel apud Troarnum, secundum quod episcopo, vel archidiacono, vel ministeriali eorum placuerit, judicio alicujus ejus satisfacturus, et si in multam pecuniariam condempnetur, similiter nostra erit in prænominatis parrochiis ; spiritualis autem, episcopi. Si vero in curia nostra judicium carentis ferri alicui fuerit adjudicatum, referetur ad ecclesiam Baiocensem, et si judicium fuerit in curia Baiocensi confirmatum, Baiocis

portabitur. De publicis criminibus, hominibus de tota terra nostra infra Baiocensem diœcesim pœnitentiam dabit Baiocensis episcopus, sed hominibus illarum parrocharum, sine omni exactione pecuniae. Illicita etiam matrimonia dissolvet. Sacerdotes et diaconi, de terra nostra, ad sinodum Baiocensem ibunt, et omnia sacramenta ecclesiastica ab episcopo, vel archidiacono, vel vicario eorum recipient. Ego quoque Gislebertus, abbas, et successores mei, ad sinodum ibimus, si episcopus nos, per litteras, vel per nuntium vocaverit ; pro consuetis autem, quæ ad matrem ecclesiam in Pentecoste fiunt, oblationibus, et pro emendis pecuniariis, quas nobis reliquit Baiocensis ecclesia in prædictis parrochiis, undecumque proveniant, persolvemus annuatim ecclesiæ Baiocensi quatuor libras Andegavensis monetæ, vel Rothomagensis, infra octabam Pentecostes, scilicet episcopo, et archidiacono Oximensi, per manum ipsius archidiaconi, viginti sex solidos, et octo denarios, et sacristæ Baiocensi tantumdem, et procuraturi (sic) ecclesiæ Baiocensis tantumdem. Capellam quidem (?) de Regnerii Maisnil, quæ ad ecclesiam Sancti Silvini pertinet, habebimus in eadem libertate in qua et matrem ecclesiam. Jus autem in regendis scolis sit ejus cuius fuit in terra nostra ab antiquo. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo nono, mense februario. His testibus : Willelmo, decano ; Heriberto, præcentore ; Unfrido, cancellario ; Jordano, Thoma, Gualerano, archidiaconis ; Willelmo, sacrista ; Henrico, succentore ; Roberto, subdecano ; Radulfo, avunculo episcopi ; Rogero de Arreio ; Willelmo de Brolio ; Radulfo de Petriarii ; magistro Roberto de Bolon ; Radulfo de Dovera ; Philippo Dentato, canonicus ; Willelmo, abbate Cadomensi ; Helya, priore ; Odardo, subpriore ; Willelmo, nepote comitis ; Roberto de Siccavilla ; Martino, thesaurario ; Stephano Ptolomaei (?) ; Hunfrido de Mool ; Thoma de Versun, monachis ; Gisleberto, abbatte Troarni ; Rogero Tanetin, priore ; Willelmo Sapiente, baillivo ; Osmundo Cantor ; Hugone Taissun ; Ricardo Pevrel, elemosinario ; Rogero le Buflei, monachis ; Willelmo, senescallo ; Osulfo de Ranvilla ; Jordano de Bavent ; Roberto de... (sic) ; Simone de Scuriis ; et pluribus aliis.